

Et de hac aliaris participatione **X**
 dicit filij tui corpus **X** et sanguis **X**
 in unum quod bene dicitur in celesti
 scriptura in eundem dicitur dicitur
Multitudo enim dicitur famulorum
 qui te in hoc mundo nos precesserunt
 in fide et dormierunt in somno pacis
 p[ro]p[ter] d[omi]n[u]m et unum in christo quiescent
 in refugio tuos ac pacis in manu
 tua. **R**equiescat in pace dicitur
Inter omnes et populum in filiis
 famulis tuis qui te in hoc mundo
 nos precesserunt in fide et dormierunt
 in somno pacis p[ro]p[ter] d[omi]n[u]m et unum
 in christo quiescent in refugio tuos ac
 pacis in manu tua. **R**equiescat in
 pace dicitur in filiis tuis qui te
 in hoc mundo nos precesserunt in fide



00 P. Bd.

V₉

+



34
NICOLAI ANDREAE GRANII
S V E D I

O R A T I O

PRO

PHILOSOPHIÆ
DIGNITATE IN RE-
PVBL. HABITA XXV. IVL.

A. C. clo Id cXXII.

C V M

Spectab. Dn. Decanus Facult. Phil.

M. HENRICVS SCAPERVS

Mathem. pr. p. & p. t. Magnificus VI-
CE-RECTOR,

*Sex Doctiss. Juvenibus summos in Philosophiã
honores conferret.*



Helmæstadñ,

E typographéo heredum IACOBI LUCI;

M DC XXII.

30

O R A T I O
 P M M O S O P H I E
 D I C T A T A T E N N R
 I T I B U S M A T H E M A T I C I S
 A C A D E M I E S A C E N S I S

J A N U A R I I M O N A T I S
 M H E N R I C O S S C H A P P E R V S
 M A G I S T R I U S P R O P R I E T A R I U S
 I N S T I T U T I O N I S P A R T I C U L A R I S
 I N S T I T U T I O N I S S A C E N S I S

H o l m e i n s t a d t
 I n s t i t u t i o n e s S a c e n s i s
 3 0 2 1 1 1



QUAESTIO.

QVando quidem imperas spect. D. Dec.
 ut recepto more specimen ingenii
 edam, adeptus summos in philoso-
 phia honores, Visum est pauca *pro as-*
serendâ philosophiæ dignitate in medium
afferre. Vos patres Academici, quâ possum obser-
 vantia, vosq; reliqui auditores spectatissimi, æquo
 animo paulisper Tyroni auscultare velitis, etiam
 atq; etiam obsecro. Sæpè profectò mirari subit
 varia, imò contraria de philosophia hominum ju-
 dicia. Ne tamen nunc attingam asperiora *Patrum*
Veteris Ecclesiæ, quibus satisfactum audio ex hoc
 loco pridem: Si veteres, si summos in Repub. viros
 consulamus, Vno Ore omnes eam commendant
 & ad sydera usq; evehunt. Audite enim nunc Vni-
 cum *Ciceronem* passim in suis scriptis decantantem
 ejus laudes; qui cum eloquens ac disertus, pro o-
 mnibus solus loquatur. Sic enim laudat utramq;
 communiter, tam *Contemplativam* quam *Activam*
 in opusculo de *Vnivers.* *Nullum bonum philosophia*
optabilius, nullum præstantius, neq; datum est mortalium
generi Deorum consensu neq; dabitur. in i. de Orat. *Est*
Laudatarum artium omnium procreatrix quedam & quasi
 A 2 parens

Cicero cõ-
 mendat
 Philoso-
 phiam u-
 tramq;

parens ea quam philosophiam Græci vocant. Est mater omnium benefactorum & benedictorum. & 1. Tusc. Philosophia omnium bonarum artium mater, nihil est aliud, nisi (ut Plato ait) Donum & inventum Deorum. Hæc nos primum ad Deorum cultum, deinde ad jus hominum quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit. Eademque ab animo tanquam ab oculis Caliginem dispulit, ut omnia supera, inferre, prima, ultima, media videremus. Speculativam autem peculiariter primo à jucunditate sic laudat 5. Tusc. Nihil dulcius literario otio. His dico literis quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipso mundo, cælum, terras, maria, cognoscimus. Deinde ab Utilitate, quod ditare possit. 1. de Divinat. Sic Thales Milesius ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam antequam florere cœpisset in agro Milesio coëmisse dicitur. Animadvertenter fortasse quædam scientia Olearum Virtutem fore. Deinde sequenti autumno solus vendidit, indeque ingentem auri vim conflavit. Profusior autem est in laudibus moralis philosophiæ, cujus professores appellat subinde magistros virtutis. 2. Tuscul. ait: Cultura animi philosophia est, que extrahit vitia radice, & præparat animos ad satum excipiendos. Medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Et 3. Tusc. Est animi medicina philosophia, sine quâ fieri non potest,

ut

Commen-
dat Natu-
ralem.

Commen-
dat Mora-
lem.

ut sanus sit animus, cujus auxilium, non ut in corporis
morbis petendum est foris. Et 5. Tuscul. Vitiatorum pec-
catorumq; nostrorum omnis à philosophia petenda est medi-
cina. O vitæ philosophia dux! ô virtutis indagatrix ex-
pultrixq; vitiatorum! Quis non modò nos, sed omnino vita ho-
minum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: tu dissipa-
tos homines in societatem vitæ convocasti: Tu eos inter
se primò domicilij, deinde conjugii, tum literarum ac vo-
cum communione junxisti: Tu in ventrix legum: Tu ma-
gistra morum & disciplina fuisti: Tu vitæ tranquillitatē
largita nobis es & terrorem mortis sustulisti. Sed nunquam
satis dignè poterit laudari; cui, qui pareat, omne te nps
ætatis possit sine molestia degere, ait in Catone majore.
Hæc & multò plura Cicero de philosophia. At
quantus vir? quantumq; ei tribuendum? Tantus
certè, qui meritò inter potentissimos Rerump. Im-
peratores habeatur sagacissimus rerum humana-
rum explorator, ideoq; earundem æstimator æ-
quissimus: Inter æstimatores autem rerum precio-
sarum scientissimos & æquissimos, potentissi-
mus. Quippe qui eam Rempub. gessit, & in sum-
mis periculis, summâ fide, dexteritate, prudentiâ
admirandâ conservavit, cui æqualem nulla un-
quam vidit ætas, nec visura forte ulla posteritas.
Prolixum foret recensere aliorum principum per-
quam honorifica de philosophiâ testimoniâ. Itaq;
propter horæ angustiam unicum saltem audire ge-

Quantum
cienda Ci-
ceronis
commen-
tatio?



Cur philo-
sophus
præficien-
dus Reip

a. An pro-
pter noti-
tiam Iu-
ris?

a. Vel po-
liticæ?

stio, quid divino Platoni (quem Cicero admiratur, omnibus anteponebat, & maximè diligit, veluti Deum & principem philosophorum; à quo qui dissident, plebeios & minutos esse philosophos putat, ideòq; cum eo errare maluerit quàm cum aliis beneficere) quid inquam, divino ipsi Platoni in mentem venerit, quando tum demum fore beatas Respub. putavit, si aut philosophi eas regere cepissent, aut qui regerent omne suum studium in Doctrinâ, sapientiâ & philosophiâ collocassent. Et cur Cicero tantopere hoc Platonis dictum amplexus pro oraculo videretur arripuisse? An per philosophos intellexit ICTos, Iustitiæ sacerdotes, veram philosophiam non simulatam affectantes: L. prima ff. Paratissimos iccirco ad alia in Repub. munia, extra iudicium, extra forenses causas? Cum philosophiam multi philosophastri habitu ipso, pallio, barbâ ad pubem usque porrectâ, crine, vultu, sonituq; Vocis objurgatorio, futilem, inanem & argutiarum plenam, & nihil ad vitam tuendam & ordinandam promoventem mentirentur. In quibus barbam & pallium tantum quicq; intueri poterant non philosophum nisi *αὐτὸ τὸ πρῶτον μέγιστον λέγειν.* An potius politicos, quòd præsent universæ Reipub. ordinando omnes species & partes singulis populis convenientes, cum ICTus parti tantum præsit, videlicet judiciali? Longè autem amplius sit officium & beneficium toti consuleri quàm parti; bonos educare cives quam lites diri-

dirimere. Politicus autem est philosophus; cum
citra omnem controversiam constet politicam esse
partem philosophiæ activæ: ideoq; philosophus
aptior Rerump. director & gubernator quam Ict?
An propter Ethicam voluit philosophum præesse, quam ferè ^{. Vel Ethicæ}
solam veteres philosophiã judicarunt? Et quare propter ^{ca?}
illam? An quia illa origo juris? Certè non ex pratorio
edicto, ut pleriq; nunc, neq; ex duodecim tabulis, sed peni-
tus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam i-
ipse Cic. putat 1. de legibus. & quidem ex illo philo-
sophiæ capite, ubi disputatur quid sit homini à natu-
râ tributum, cujus muneris colendi efficiendiq; causâ nati
& in lucem editi sumus, quæ sit conjunctio hominum, quæ
naturalis societas inter ipsos. His enim in Ethica ex-
plicatis, fons legum & juris inveniri potest, inquit. Et
quod naturâ propensi sumus ad diligendum homines, hoc
fundamentum juris ibidem vocat. An quia radicem o-
mnium malorum stirpitus philosophia se extracturam pol-
licetur? Demus igitur (ut ipse monet 4. Tuscul.) huic
nos excolendos patiamurq; nos sanari ab ea si boni & beati
velimus esse? Omnia adjumenta & auxilia inde petamus
benè beateq; vivendi? An quia philosophia virtutes
continet, & officii & benè vivendi disciplinam, quam qui
profitetur gravissimam proinde personam sustinere videat-
ur ut 4. Tuscul. ait? Ideone philosophus præ cæ-
teris dignus, cui tutò cõmendari Resp. possit? Ne-
queo sanè satis mirari, olim fuisse accitos è scholâ
Pytha-

Cur hodie
apud nos
eviluit?

a. Propter
corruptā
philoso-
phiam?

Pythagoræ & Platonis academiâ ad Rerump. admi-
nistrationem, cum hoc seculo profectò nostrati-
bus perridiculum videatur, philosophum ex aca-
demia veluti è pulvere scholastico fordidum, om-
niumq; rerum ignarum in senatum ad deliberan-
dum in negociis publicis vocare eumq; præficere
clavo Reipub. Adeo apud nos hodie eviluit id ge-
nus hominum. *Nunc pone coquo minas decem, Medico
drachmam, Assentatori talenta quinq, consiliario fumum,
Meretrici talentum, philosopho Triobolum,* juxta Dia-
rium Cratetis. (Laert. l. 6. in crat.) cujus contem-
ptus ansam illos inprimis præbuisse credo, qui ge-
nuinam illam & masculam philosophiam per duo
millia annorum in precio & honore, magno cum
emolumento Rerump. habitam cœperunt castra-
re, excarnificare, eviscerare, & demum è pulpitis
atq; academiis insanè cum sibilo explodere, quasi
obscuram, falsam, impiam, prolixam, cui discen-
dæ non sufficeret hominis ætas (ô audacem impu-
dentiam) quasi impedimento, non adjumento fo-
ret properantibus ad alias facultates: explosæque
loco substituere aridam & jejunam, in qua nullum
ingenii liberalis pabulum amplius, nihil succi. Vbi
enim in vulgaribus libellis & receptis hodie illa
medicina animi, illa tranquillatio perturbatio-
num? Vbi agitur de morte contemnenda & de a-
liis plurimis, propter quæ Cicero philosophiam
usq;



usq; adeò commendat? Nusquam profectò, nusquam. Hinc non immeritò philosophia talis & tales philosophi vapulant & contemuntur propter vitiatem & vanitatem doctrinæ. An fortassis altera etiã causa contemptus esse potest Quorundam philosophorum vita Doctrinæ contraria, quam attingit Cic. 2. Tusc. ? Quotusquisq;, inquit, philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam non ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet? Quiq; obtemperet ipse sibi ac decretis suis pareat? Videre licet alios tantã levitate & jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius: Alios pecuniæ cupidos, nonnullos gloriæ, multos libidinum servos, ut cum eorum vitã mirabiliter pugnet oratio, quod quidem est turpissimum. Hæc ille. propter prædicta igitur haud facile dixerim cur Plato Philosophum censuerit aptiorem administrationi Reip. Tu itaq; Cl. V. Nicol. A. Grani dic quæso quid tibi videatur? Quod si feceris, meq; erudieris, gratias agam pro institutione; Et erunt fortasse plures qui idem mecum cognoscere cupiant.

2. An propter vitã?



B

RE





RESPONSIO.



Vod petis Doct. Dn. M. dicam pro facultate & tempore rationes meas quàm simplicissimè & quàm brevissimè, utinam etiam tam perspicuè tamq; sufficienter, *cur Platoni videatur Resp. sive universa, sive pars saltem eius tutissimè commendari philosopho potius gubernanda, tanquam aptiori, quàm cuiquam alteri.* Ne verò temeritatis meritò arguar, quasi imperitus Phormio apud Hannibalem de bello differens, aut umbratilis apud versatos in Reip. luce, tuebor me autoritate antiquissimorum, & gravissimorum autorum, Platonis, Aristotelis, Polybii, Ciceronis, Plutarchi, atq; aliorum, à quibus hæc qualiacunq; desumpsi; quæ rogo nequis intellecta prius quàm sint, contempta relinquat.

Primam ergò quæ movit Platonem hanc arbitror: *Ecquis enim aptior ad regendum alios, quàm vir bonus, doctus & disertus?* cui potius commendanda Resp. quam viro probo & benevolo, qui semper vult benefacere ac prodesse quàm viro perito, prudenti ac diserto, qui expeditè potest in medium quàm rectissimè de summis rebus consulere? Iam verus Philosophus est vir bonus, doctus ac disertus. Nisi enim *bonus* ac *peritus* fuerit rerum gerendarum & fugiendarum, haut ritè affectus est activam philosophiam, quæ rationes beatè vivendi in Ethicâ, gubernandi ad beatitudinem civilem in Politicâ, Oeconomicâ & Historiâ tradit. Nisi *doctus* fuerit ac sciens rerum quæ saltem cognosci, non verò fieri ab homine possunt,

NON

non didicit contemplativam, non Mathematicam, non
 Physicam, non Metaphysicam. Deniq; nisi *disertus* sed
 elinguis fuerit, nequaquam versatus est in instrumentali
 philosophiâ, Rhetoricâ & Poëticâ; ideoq; ne philoso-
 phus quidem. Quid enim? nonne genuinus philosophus
 (de quo nobis sermo) est *peritus administrationis*? Nonne
 didicit primò in *Ethicâ* finem ultimum omnis gubernationis,
 omnium actionum humanarum esse beatitudinem civilem seu
 optimam vitam, ad quam dirigenda societas? nonne deinde
 didicit in *Politica* (reginâ & imperatrice omnium) media
 idonea rectè administrandi? Nonne didicit ex eâ quot partes,
 quot genera, quot species Rerump. quot formulæ gubernandi,
 quibus causis, quibus consiliis singulæ species fundentur,
 conserventur, corrumpantur & intereant? quibus gentibus quæq;
 aptiores convenient differentibus cœlo ac solo? Alio atq;
 alio statu gaudere qui habitant sub Zonâ temperatâ, torridâ,
 frigidâ, in regione fertili, sterili, mediterraneo, maritimo,
 campestri, montano; quod apertè patet in Venetis optimatum,
 Helvetiis atq; Batavis populi dominium defendentibus: Et in
 Cappadocibus, qui repudiarunt oblatam libertatem, Regem
 postulantes à Romanis extinctâ regiâ stirpe. Contra Romani
 quidvis potius quàm Regem tulissent. Nonne per *Rhetoricam*
 (quæ facultas est periuadendi, utilia, decencia, iusta)
 didicit oratione compositâ, blando, attamen valido imperio
 tractare populum, beluamq; istam multorum capitum, ne
 recalcitret, peritè ducere quò commodum, honestum, æquum?
 Dic, quorsum aliò diriguntur genera causarum? quorsum
 tot argumta, tot artificia, in *demonstrativo*, nisi ad laudandum
 præclarè facta, & vituperandum turpia, ut inflammentur
 auscultantes ad virtutem, deterreantur verò à vitiis? quorsum

r.
 Philo-
 plus fit
 Prudens
 ex Ethicâ
 & Politi-
 cã.

2.
 Disertus &
 Rhetoricâ
 & Poëticâ.



sum in *deliberativo*, nisi ad suadendum salutaria generi hu-
 mano, dissuadendum verò noxia? quorsum in *iudiciali*,
 nisi ad accusandum delicta & facinorosos, ut puniantur,
 tuendum verò innocentes à calumnià? *Nonne didicit perire*
per poësin Tragicam Principes, per comicam subditos, per
 Epicam utrosque à flagitiis deterrere; atq; ad meliorem
 frugem revocare spectatores & lectores delectando pari-
 terq; monendo: esse Deum, observare ex altâ speculâ fa-
 cta, imò cogitata occultissima, inscribere diptera, præ-
 miis probos, pœnis improbos pro cuiusq; merito tandem
 afficere, si non hîc omninò in alterâ vitâ? Certè hic finis,
 hic usus est legitimus poëtica; imitatione fictâ, fabulis, a-
 ctionibus in scena jucundis spectatu & auditu emendare
 vitam mortalium in melius. Nec debet *abusus* huic ma-
 gis imputari, quàm cuiquam alteri arti nobilissimæ suus,
 Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ aut alii. Qui itaq;
finem & media gubernandi ex Ethicâ & Politicâ, qui *oratione*
persuadere & idonea dicere vitæ è Rhethoricâ & Poëticâ
 didicit, nonne *potest* ut *peritus* gubernator Remp. capeffe-
 re atq; moderari? Qui verò non didicit, imparitior, ni-
 fallor, & imperitior accedit, veluti Phaëton ad aurigan-
 dum, ad volandum Icarus, vitreo daturus nomina Pon-
 to. Præterea *quæ fieri potest*, ut *genuinus philosophus non sit, ut*
peritus, ita vir bonus ac benevolus? i. Nonne Ethica solet
 excitare in studioso suo boni veri desiderium, id est, *bene-*
volentiam, & mali veri odium? quatenus bona triplicia,
 animi, corporis & fortunæ, totidemque opposita
 mala invicem comparat, ostendendo ad oculum, animi
 bona esse multò meliora bonis corporis aut fortunæ, cu-
 pidiusq; appetenda: utpote virtutem præ sanitate, pul-
 chritudine, voluptate, divitiis, honoribus: Animi autem
 mala esse multò pejora malis corporis aut fortunæ, ma-
 gisq;

3.
 Probus ex
 Ethicâ,

gisq; detestanda; utpote peccata, vitia & perturbationes animi perniciosiora morbis corporis, paupertate, & inhonoratione: quòd quæ præstantiori parti (animo videlicet) profunt, meliora sint, quàm quæ viliori, utpote corpori. Contra quæ præstantissimam partem, animum depravant, esse nocentiora multò ijs quæ nocent corpori, parti viliori? Itaq; honestatem præferendam utilitati turpiq; quæstui. Sic certè Ethica comparando bona malaq; invicem excitat benevolentiam in considerante, ut bona velit & mala nolit. 2. Nonne excitat quoq; *Benevolentiam*, placando per certa artificia Affectus indomitos, impedimenta bonæ voluntatis & mentis? metum sollicitudinemq; in terribilibus & periculis, iracundiam & molitiam, cupiditatem immodicam voluptatum, divitiarum, honorum, cæteraq; animi ægritudines; redigendo omnes in obsequium rationis rectæ; ne nimium sensibilia sua bona appetant, malaq; fugiant, nosq; à veris bonis abripiant, contra dictamen rationis, suâq; discordiâ tranquillitatem animi perturbent. 3. Porro, nonne Ethica quoq; excitat *dilectionem proximi*, quando disputat omnes conatus, omnia studia referenda in utilitatem publicam? Neminem violandum sui commodi causâ: Eum qui conatur incommoda sua evitare, aut lucrari injustè cum alterius damno, peccare contra naturam; ideoq; laborare animi vitio ceu morbo; quia hoc est contra naturale principium in mente humanâ lucens, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Quid faciendum in iis casib' quibus honestas & utilitas pugnare videntur, cujusmodi sunt illi: Si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, cū id rescierit, soluturus ne sit eos, si cui debeat pro bonis? Si quis aurū vendens orichalcū se putet vendere, indicetné ei vir bonus aurū illud esse, an emat denario

quod sit mille denarium? Si in mari iactura facienda equine pretiosi potius iacturam faciat an mancipii vilis? si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens natans in eodem freto excutiendo fatuum tanquam Reip. inutilem? Quid si una sit tabula, duo naufragi sapientes, sibi ne uterq; rapiat, an alter cedat alteri? Quid si pater sana expilet, patriam prodere, aut tyrannidem occupare conabitur, indicetne filius magistratui? Prætereo alios similes; in quibus profectò omnibus quatenus charitas, quatenus benevolentia erga proximum servari foventique debeat, præscribit; ne quid simulatè, ne quid fallaciter fiat: Hæc agit, hæc curat moralis, sicuti oportet eum,

*Qui latè imperio populos moderatur & urbes,
Publica qui Princeps atq; ampla negotia tractat.*

Dubitas? lege non multos quidem, non proletarios ac plebeios autores, in quibus (ut paulò ante dictum) nil succi, sed vel libellulum aureum Boëthii *de consol. philosoph.* vel *Tuscul.* quæst. vel de *Finib.* vel *officia* Cic. tum *Politica* Arist: qui nunc (proh dolor) magno studiorum damno negliguntur. Ex quibus evidenter patebit *philosophum dignissime præfici universæ Reip. cum possit ac velit rectè imperare.* Ecquis etiam *partibus Reipub. primariis* justius præficatur, sive *militia* in castris, sive *consilio* in Senatu, sive *institutioni* in scholâ? Tota certè *Militaris* scientia, tota (inquam) est pars *Politicæ*, totaq; dependet à *philosophia*, de *aciebus*, de *machinis*, de *stratagematibus*. Armata est Pallas. Itaq; Daniel Santbek de dirigendis tormentis *Geometricè*, scripsit peculiare opus valdè eruditum. Unde quis non videt, illum belli ducem eligendum, qui *philosophus*? Quod non ego dico qui prælio nunquam interfui, sed Polybius, Aelianus, Vegetius, Frontinus, qui artem

4.
Philoso-
phus mi-
litar.

tem militarem conscripserunt, ejus peritissimi; ijs credite. Enim verò aciem simplicem, duplicem, triplicem, quadruplicem; *figurâ* quadratâ, oblongâ, conicâ, cuneatâ, rhombi, aliâque instruere, huic hostium vel illi numero opponere, commutare commodè per numerum parem, imparem, pariter parè, pariter imparè (*Ael. de phal.*) quomodo potest quæso Arithmeticæ & Geometriæ ignarus? Aciei tamen ejusdè cõmutatio per diversas figuras, eandemq; figuram modo laxare, modo contrahere, manente eodem militum numero, Di boni quantum prodest! *Cuneo* enim factò pauci cæsareani milites Sicambrorum nescio quot millia perruperunt & incolumes evaserunt. (*cæs. bel. Gal. l. 6. & l. 4.*) Orbe autem factò trecenti saltem legionarii, sex millia Morinorum amplius quatuor horis sustinuerunt. Et ratio *ordinis* in prælio victoriam è *proportione* in primis machinatur, ut ex interuallis ordinum aut subsidia mitantur, aut defessis receptus concedatur. Sic triplex Romana acies ad *Geometricam intervalloꝝ proportionem* instructa, Gallicâ phalangiâ ad *Arithmeticam* proportionem instructa præstabat. Quia miles idem tertio illic præliari poterat, qui hîc semel fractus nunquam recreari possit. Itaq; Romanus exercitus idem partibus omnibus eodem revocato undiq; robore præliari poterat, primâ acie quasi capite, ut cornibus tauri, aut apri dentibus: mediâ tanquam pectore, ut vultures: Extremâ velut unguibus & calce, ut leones & equi. Deniq; si hastatus primâ acie victus esset, receptus inter principes & Triarios poterat acie secundâ tertiâq; iterum atq; iterum decertare. Et *ne quis ignorationem Geometriæ non fuisse calamitosam, cognitionem verò non salutarem arbitretur: Philippus* macedo, ad Melitæorum urbem capiendam, non faris longas scalas attulit, nescius quæ proportio basis ad latera trianguli re-

cti con-

sti constantis altitudine muri, latitudine fossæ & longi-
 tudine scalæ (quod pluribus *Polybius* lib. 9. inculcat) idcir-
 co turpi clade affectus discessit, quemadmodum Galli re-
 pulsî à Mediolano. *Archimedes* verò solus solius Mathe-
 maticæ machinationis beneficio, (*Polyb. lib. 8. c. 6. Plut. in*
Marcell.) adeò Romanos, omnium populorum victores
 removit ab oppugnatione incaptâ Syracusarum, adeò
 contrivit, jaculando in eos horrendo fragore & impetu
 ingentia saxa, eludendoq; omnes eorum invasiones, o-
 mnia instrumenta bellica, ut crederent se contra Deos
 pugnare; & quid nos (ait *Marcellus*) pergitur cum hoc
 Geometrico Briareo pugnare, superante fabulosos centi-
 manos? Et sanè superavit. qui cum ante navem stupen-
 dæ magnitudinis & artis, instar arcis, instructam Hortis,
 scenis, Turribus, Muris, stabulis, Piscinis, balneis *teste A-*
then. l. 5. c. 7. demersam verò (quod omnes Siculorum vi-
 res frustra tentassent. *Procl. 2. c. 3. Tex.*) è littore in terram
 perinde velocissimè traxisset lævâ, ac si velis remisq; agi-
 taretur, spectante obstupenteq; Hierone Rege, fertur di-
 xisse: *Da mihi locum ubi consistam pedemq; figam, & orbem*
terrarum universum loco movebo.

Non illum Mundi numerasse capacis arenas
Vana fides, puppes etiam, constructaq; Saxa
Fœmineâ traxisse ferunt contra ardua dextrâ.

canit Sil. Ital. l. 14. è Liv. 4. dec. 3.

Tantum roboris, tantumq; fiduciæ *mechanica* tribuit,
 nec falsò jactitat paradoxum illud: *Quantulâcunq; vi par-*
vâ, posse quantumcunq; magnum pondus moveri. Quid optica?
 capta fuisset fortè constantinopolis circa A. C. 500. à Mæ-
 sis & Scytis, si non Mathematicus excellentiss. *Proculus* ca-
 toptricæ auxilio per specula ex ære uistoria soli opposita
 exul-



exussisset classem barbarorum, quod olim *Archimedes*
quoq; excogitasse contra Romanos refert *Dion. citantē*
Zonara T. 3. & 2. Quare ad castra metandum, ad occupan-
dum locum, ad contrahendum & laxandum aciem, ad ser-
vandam ordinem in ipsis & itineribus & praeliis pluri-
mum interest, Geometriae sit, an non, Plato verissime
de Principe civitatis ait. lib. 7. Pol. Quin etiam *Astronomiā*
& *Physicā* opus habet. Nam qui nescit incrementa dierum
& noctium in regione ubi pugnandum, facile errat in
conficiendis itineribus, ne tempore praestituto perveni-
at quod decrevit. Ut *Cleomenes* Rex Sparta, cum propo-
suisset circa Pleiadum exortum Megalopolin proditione
occupare, tertiā vigiliā in tenebris, nec praevidisset no-
ctes tunc esse brevissimas, eduxit exercitum serius Laceda-
emone sub occasum solis, nec spatium tam celeriter
perficere potuit, quin prius dies illucesceret. Itaq; anim-
adversa sunt insidiae & is cum ignominia repulsus. Con-
tra *Philippus* Macedo cum circa mediam noctem invadere
Melitenses dormientes decrevisset, maturius quam par-
erat illo die anni Larisā profectus, & ante vesperam per-
venit in eorum fines, ideoq; ei necessario properandum
erat ad urbem, ne quis nuncius eum anteverteret. Ita de-
testa proditio est. Similiter qui nescit *causas Ecclipsium ex*
Physicis, & determinata tempora ex *Astronomiā*, facile con-
sternatur quasi prodigio: ut *Nicias* Atheniensium dux Lu-
nā deficiente eā nocte quā fallere statuisset in Sicilia ho-
stem, religione tactus abstinuit, suosq; perdidit. Tantum
nocet ignorantia. Discendam itaq; Mathesin Imperatori
non exquisitè quidem, sed quantum satis est, Polybius se-
dulò suadet lib. 9. tum eam etiam ob causam ne erret cum
plerisq; qui ex ambitu magnitudines urbiū & castrorum
conjectant; ac propterea si audierint Spartam (quæ patet
in cir-

Polyb. 1.9.

C

in cir-



r.
Philoso-
phus con-
sultat.

in circuitu quadraginta octo stadia tantum) duplo majorem esse Megalopoli (cujus ambitus est stadiorum 50,) non credunt: multò minus credituri si quis dixerit fieri posse ut oppidum 40. stadiis circumdatum duplo majus sit habente in perimetro 100. stadia. Hora ruit, nobis prope-
randum est. Utilitates habetis philosophiæ in militiâ ingentes, ad patriam defendendam, vel provinciis augendam. *Et quis etiam justius præficitur consilio in senatu, comitiis, conventionibus & deliberationibus publicis quàm philosophus? Qui præcepta universalia rectè consultantur hauserit è Politicâ, exempla verò singularia ex historiâ, quæ vitæ magistra, proptereaq; ad Politicam pertinet, non aliter ac individuum ad speciem. Quot enim tractatus benè longus in Politicâ de arcanis Rerumpub., de causis conservantibus & eventibus singulas species, imò quot tota ferè civilis scientia suppeditat, ingeniosa & salutaria consilia, schemata Politica, Sophismata, stratagemata, artificia dicto vel facto persuadendi incredibilia, obtinendi desiderabilia, extorquendi impossibilia, expiscandi occulta, evitandi incommoda; quibus res maximæ & difficilimæ facillimè sine violentiâ gerantur & ad optatum finem perducantur tam belli quàm pacis tempore quoties non licet agere legibus, neq; in ullâ facultate aliâ reperiuntur? In quibus honestè sine dolo malo aliud agere aliud tegere, & ut ille ait: stultitiam simulare loco prudentia summa est. Sicut simulavit furor in David coram Rege Palæstinorum: Solon quoque Athenis pro recuperandâ Salamine: Et multi consilia sua sibi suggesta à divino numine cum quo congressus occultos finxerunt; quò cives obsequentiores à virtijs ad virtutem sibi redderent, suisq; majorem conciliarent dictis fidem & auctoritatem; ut Rhadamantus, Minos, Lycurgus, Numa, Scipio. Mirari profectò soleo inter*

inter alia, Aristocraticam & Democraticam solertiam excludendi subditos à regimine sine offensione animorum, sine seditione, quam Aristot. lib. 4. 13. cap. Polit. indicat. Concedit quidem facultatem omnibus indifferenter perveniendi ad honores, dignitates, ad magistratum & gubernationem, attamen cum cōminatione nomina profitentibus tam honestâ, tam benignâ, ut libentissimè abstineant plebei in optimatum, & divites patriciîq; in populari statu, satagendo rerum familiarium, contenti sola permissione. Quot etiam & quàm optima consilia & acutè inventa suggerit *historia* ad omnes actiones humanas, quæ in vitâ occurrunt feliciter suscipiendas & perficiendas; quando narrat memorabiles omnis generis casus, eventus, consultationes, quibus res olim gestæ; in eum finem, vt nos inde documenta ad imitandum vel cavendum accipiamus in posterum? Ecce pro innumeris non anxie quæsitum illud *Ariopharnis* Thracum Regis apud *Diodor. Sicl. lib. 20.* Tres Cimmeriorum Regis filij de paterno regno contententes Ariopharnem iudicem elegere. Hic jubet cadaver patris sepulcro erui, arbore suspendi, & eos arcu contendere, ut qui patris cor transfixisset, is in regnum succederet. Primogenitus guttur, secundus medium pectus illæso corde transfixit. Supererat minimo spes regni. Vicit pietas, & se regno cedere malle professus, quàm in patris cadaver sævire. Huic Thrax regnum adjudicavit; quia naturæ propensione se & verè filium, & virtute præstantiorem ostendisset. Ecce aliud, pro ut se offert sine ordine, sine delectu. *Constantius Chlorus* Cæsar, ut cognosceret idolatras in aulâ latentès sub nomine Christiano, iisdemq; eam purgaret, simulat se defecisse ad idolatriam, instauraturumque denuò persecutionem. Hac arte quoscunq; exploravit paratos ad persequendum.



relegavit, *Eusebio teste in vitâ Const. lib. 1. cap. 11.* Ecce etiam tertium. Pontifici *Alexandro VI.* Sciscitanti quo jure Veneti Adriæ imperium & Insularum usurparent, responderunt, eodem planè quo is possessionem Italiæ sibi vendicat. Seq; mirari Sancti. D. non legisse in autographo donationis Constantini M. quod dicitur servari in vaticana: Cùm ibi totidem claris & expressis verbis tantum concedatur S. Marco potestatis in mari, quantum S. Petro in terrâ jam piscatori hominum & regionum feliciter facto, postquam deseruisset retia & littora. (*Abr. Buchol. Ind. Chron. A. C. 1500. affribit hoc responsum Hier. Donato legato Venetorum*) Occurrit quartum, quod nequeo præterire apud *Corrozeum*: Byzantii Iudæus Christiano pecuniam mutuò dederat, uti constitutâ die præter sortem usuræ loco duas carnis uncias è corpore suo debitor redderet. Die illâ sortem solvit Christianus, fœnus negat. Aditur *Solymanus* Imperator Turcarum ut rem decidat. Ille Iudæo animo detestatus, novaculam afferri jubet, & Iudæo potestatem facit, quâ velit membri parti debitoris duas carnis uncias excindat eâ lege, uti omninò duas tantum: si minus plusiè exciderit, capite luiturum. Non ausus Iudæus hanc aleam subire, Christianum absolvit. Ex talibus historiis lætis, quis non mirificè eruditur ad capiendum similia consilia utiliter in similibus casibus? siquidem fabula eadem in hoc mundi teatro agitur mutatis tantum temporibus & personis; nec quicquam dicitur novi quod non dictum prius; nec fit quod non factitatum apud seculum prius. Quoniam renascuntur cum hominibus succedentibus eadem cupiditates & voluntates; quæ sunt causæ actionum humanarum. Redeuntibus autem similibus causis, redeunt simul similes affectus. Sed jam satis est. Exemplis pluribus, & ordine aliquo dispositis, copiam

am saluberrimorum consiliorum in historiâ monstrarent
informantium philosophum, quid agendum in negotiis
arduâ, nisi & tempus deficeret, & tadium auditoribus
obreperet. Ergo philosophus rectissimè faciet officium
militare & senatorium. Quid? quod non tantum adul-
tos gubernare possit, verùm etiam *iuventutem quàm rectis-*
simè educare & instituire informando *linguam eloquentiâ*
per instrumentales artes, *intellectum veritate* per contem-
plativas scientias, *appetitum virtute* per morales discipli-
nas? Ut pueri assuescant bonis rebus delectari, tritari ma-
lis; decenter, non turpiter, non se vitiosè gerere in om-
nibus rebus humanis agendis, tam gratis quàm
molestis, tam adversis quàm secundis, in cibo, po-
tu, venere, convictu cum aliis, in solitudine secum,
in commutationibus, circa opes, circa honores. Ex qua
assuefactione morum non multum sanè negotii supererit
legibus ad iubendum aut verandum, ad delictorum pœ-
nas aut præmia rectè factorum, sed sine legibus benè vive-
re licet: sine illâ verò, ne cum legibus quidem vel pluri-
mis, vel accuratissimè prescriptis ac sanctis.
Prudenter Horatius:

Quid leges sine moribus vanæ proficiunt?

Isocrates docet in Areopagitico, non beneficio legum
bonos viros Athenis fieri, sed quod mores haberent ho-
nestâ educatione ad rectum compositos, amorem virtu-
tis & æquitatis pectoribus impressum & infixum. Opor-
tet, inquit, rectè prospicientes Reipub. non porticus le-
gum tabulis replere, sed in hominum mentibus æquita-
tem defigere. Quippe non decretis, sed bonis moribus ci-
vitas optimè gubernatur. Malè enim educatis atq; edo-
ctis, nulla est legum etsi exactè præscriptarum reverentia,



Contra verò probè institutis, recepta bonis moribus suffiunt. Itaq; primis optimarum Rerump. fundatoribus, non ea fuit curarum prima, quibus pœnis malè viventes afficerent, sed potius quibus tandem rebus assequi possent, ne quid cives pœna dignum vellet patrare. Id demum censebant esse munus suum, maximeq; moderatores civitatis decens. Nam de pœnis cogitare, hoc est hostem agere non civem. Hactenus Isocrates. At Romanae leges omnes (inquit Vives) sunt de constituendis litibus, de iis quæ ad pecuniam pertinent, ut sua unteuiq; manerent tuta. Nullum est in iis caput, nullus titulus de morum compositione, de animo ad virtutem formando, cum tam multa sint eâ de re in ll. Licurgi & Solonis, unde sumta fuerunt 12. tabulæ: Omnia verò in philosophia. Quocirca philosophus, militat, consultat, instituit, in castris, curiâ, scholis. *An etiam in foro discere possit?* Dicam quod res est. Quamvis forensibus causis in iudicio præesse nequeat, ubi perplexi casus legibus saltem decidendi obijciuntur (nam hîc confiteri necesse est Ictum dominari jure) tamen Iurisprudencia nequit carere philosophiâ (quod ex Ulpiano audivimus) neq; Ictus philosopho: non utiq; *Mathematico*. Etenim sine Arithmeticâ impossibile est assequi sensum, nedum exsequi sancita legum quarundam in herciscundâ familiâ, fructu arboris in confinio dividendo, & insulis fluviatricis secundum jus civile dividendis. Ad eò verba sæpè aliter sonant ac sententia est legum. De quibus iccirco Io. Buteo, Mathematicus insignis, eruditissimum opus scripsit nondum mihi visum. Ut nihil dicam de frequentibus quæstionibus lucræ & damni in venditionibus & emptionibus decidendis Arithmeticè. At ne quid temerè effutire videamur, loquatur ipse Iustitiæ consultus *Julianus* de posthum. hæred. institutend.

7. Philo-
phus ne-
cessarius
Icto.

Mathema-
ticus ne-
cessarius.

stituend. Si ita scriptum est: (ait in ff. lib. 28. l. 13.) *si mihi filius natus fuerit, ex hęc heres esto, ex reliqua parte uxor mea heres esto. Si verò filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto, ex reliquã parte uxor mea heres esto. Si filius & filia nati essent, dicendum est, assẽ esse distribuendum in septem partes, ut ex his filius quatuor, mater duas, filia unam partem habeat. Ita enim secundum voluntatem testantis filius altero tanto amplius habebit quàm uxor. Item uxor altero tanto amplius habebit quàm filia. Licet enim subtili iuris regule conveniat, ruptum fieri testamentum, attamen cum & utroq; nato testator voluerit uxorem aliquid habere, ideo ad eiusmodi sententiam humanitate suggerente decursus est. Quod etiam iuuentio Celso apertissimè placuit. Hęc Iulian. in speciali saltẽ casu, quoties hęc hereditas in septem partes dividenda, satis per Arithmetica[m] exposuit voluntatem testatoris. Cum certum sit testamentum non intelligi ut verba sonant. Nam partes toto dividendo apparent maiores, si mordicus scripturam & literam potius tenere velis quàm sententię analogiam sequi. Quippe si filius accipiat $\frac{2}{7}$ quomodo uxor habebit $\frac{2}{7}$ & filia $\frac{1}{7}$? Sed mille casus hęc contingere possunt. Quid enim si uxor duos filios & unam filiam? Quid si duas filias & unum filium peperisset? Quid si duos filios & duas filias? Quid si pater legasset filio dodrantem, matri quadrantem, filię verò quincuncem, sed matri septuncem? Quid si aliter? tunc non potuisset hęc hereditas dividi in septem partes. Quid itaq; tunc fuisset faciendum? Vides sine regulã Arithmeticę, quę dicitur *continuatio proportionum* nequaquam explicari. Ergo quanta sit necessitas Mathematicę etiam in iudiciis sæpè, sufficit unico hoc exemplo demonstrasse. Sed an *Physica quoq; necessaria*? Omnino. Quomodo enim, si incidere quęstio de abortu è percussione gravidę, nunquid homicidium commissum, quomodo (inquam)*

Physicus
necessarius



Metaphy-
sicus ne-
cessarius.

quam) expediet se iudex absq; cognitione physica, vel in-
consulto philosopho naturali, ut sciat quando incipit fœ-
tus animari in utero animâ rationali & fieri homo? Quin
*Metaphysicam quoq; iurare plurimum ad perfectam legum scien-
tiam* probat disputatio Hermolai Barbari cum Alexandro
ab Alexand. lib. 3. Genial. cap. 1. cui occasionem præbuit
Plutarchus, scribens navim, quâ olim Theseus delatus fu-
erit in Cretam (ubi interfecit Minotaurum, & patriæ li-
bertatem vindicavit) ad Demetrii Phaleræi usq; tempora
per multa secula Athenis servatam permanisse. Cumq;
longo ævo absorpta dudum vetus materia fuisset lignis
antiquioribus detractis novisq; coaptatis, ac nihilomi-
nus diceretur vulgò Thesei navis, philosophos quæstio-
nem movisse, *num esset eadem navis*. Hermolaus quidem
negabat permanere eandem numero cui non permanet
eadem materia. Alexander contra eandem confirmabat
ex sententiâ Ictorum quorundam. Alphenus enim, in-
quit, Iuris Civilis & veterum literarum doct^o impensè, ex-
istimavit ubi *iudicium* coram uno pluribus agitari cæ-
ptum, si illis fato perfunctis alii suffecti sint, idem iudi-
cium censeri. Et *populum* eundem esse qui nunc est, & qui
ab hinc centum annis fuit. Navim quoq; cui mutatâ ma-
teriâ veteri nova suffecta est, non aliam sed eandem dece-
re existimari. Quod si aliter dicimus, utiq; foret ut nos,
qui immutamur quotitè, iidem non essemus, qui ab hinc
anno fuissetemus. Quia etiam Ulpianus & Pomponius pro-
diderunt: Si *grex* mihi testamento legatus esset, isq; ad eò
immutatus est, ut ne ovis quidem, quæ scripti legati tem-
pore fuit, hodie supersit, sed omnis ex sobole postea na-
tâ suffectus sit, eundem gregem dici; atq; ideo legatum
testamento deberi; quia, cum quid loco alterius suffici-
tur, idem existimari haud dubium. Hactenus Alexand.
Hic

Hic quæstio est in jure de idemitate navis, judicii, populi, gregis. Ecquis controversiam componet? Ecquis quæso plenius quàm is cujus officium proprium est speculari quotupliciter Ens dicatur Unum? At hic est Metaphysicus, sine quo nequit disputatio finire. Ac quamvis in allegatis legibus idem judicium, eadem navis, idem populus, idemq; grex dici & haberi meritò debeat quàm diu servatur eadem species, propter eandem utilitatem, quam species eadem mutatis singularibus præstat, & lex exigit, & testator voluit; tamen in multis aliis non idem specie, sed idem numero & materiâ requiritur. Quod satini superq; probat prodigiosa illa navis ænea Fortunæ Constantinopoli circa A. C. 500? cujus fragmenta quamdiu sublata erant, frumentum navibus importari nequibat ob tempestates: Populusq; fame periturus videbatur, nisi studiosè conquisita eadē restitutaq; fuissent. Zon. 3. Satini etiam probat regula communis, *Duo cùm faciunt idē non est idem?* Ideoq; Spartani, cùm improbus in senatu sententiam aliquando æquissimam dixisset, eā rejecerunt, donec eandē alius vir bono pronuntiaret. tum demū acceptata rataq; habita est. *Gell. l. 17. c. 3.* Alioquin etiam eandem urbem diceres Romam veterem & hodiernam, illam civibus potentissimam & ædibus marmoream, hanc invalidam incendiisq; toties vastatam. Ergo *Metaphysica etiam facit ad accuratorem legum notitiam.* Multoq; adhuc magis *Athiaphilosophia* quàm speculativa; quod manifestissimum vel ex unica doctrinâ de actionibus invitis, spontaneis & mixtis, quæ tota Ethica est. Quis enim discernet reum ab infonte? Quis rectè judicaverit pro tribunali illâ neglectâ? Quid dicam de *Rhetorica necessitate & utilitate?* *Nicolaus Vigelius* ICTus insignis in suâ Rhetoricâ, quam *Practicam forensensem* appellavit, contendit nihil magis nunc li-

Ethicus
necessario.

Rhetor,
necessario.

D

tium



Logicus
necessarius.

tium parere immortalitatem (quæ extinguit amicitiam & mutuat dilectionem in genere humano) quàm usitatum hodie processum juris, neglectâ verâ ac veteri Rhetoricâ. Nec dissentit ab eò Zazius in comment. ad Heren. *Quid de Logica usu?* quem plus satis monstrant in jure *Petrus Andrea Gammarus in Logica legali, & Nicolaus Eberhardus.* Iamq; demum ostendimus philosophum posse ac velle rectè ordinare universam Remp. & partes præcipuas, militiam, curiam, scholam; iudicio etiam prodesse si non præesse. Quod si objiciatur *multos egregiè rexisse civitates, provincias, regna optimis consiliis, solâ naturâ suggerente, experienciâ solâ docente, ne leviter quidem philosophia cognitione tinctos:* Respondeo hanc fuisse in illis philosophiam *naturalem*, quæ nullo modo separari debet ab *artificiali* consummatâ. Dices fortasse, ubi reperitur talis philosophus omnibus numeris absolutus, & trademus ei imperium. At ego similiter, ubi quæso absolutus Theologus, absolutus Ictus, absolutus Medicus? Si prius nolis liberari morbo, lite, peccato, quam tales inveneris contentus mediocribus, serò aut nunquam liberaberis. Enumeratas ergò fuisse arbitrò rationes, cur philosophum præfecerit Reipub. magnus Plato applaudente Cicerone. Quod verò hodie hîc repudiatur, non mirum, postquam amisimus vera rerum vocabula, in tantâ institutionum doctrinarumq; Discrepantiâ perniciosâ, in tantâ perturbatione, indeq; perversorum morum luxurie, quâ ægroti medicinam ferre nequeunt, nec medicum ab agyrâ discernere, nec philosophos à philosophastris veteri verâq; philosophiæ petulantissimè insultantibus; quorum agmen ducit, *Gallus Veromandus* cum suis quibusdam pulvis & transfugarum manipulis, granum in simeto suo non margaritam, quæstum per fraudulenta compendiosa sua,

la sua, non sapientiam solidam quæritantibus. Quorum hortatu videmus complures è trivialibus eveſtigio involare in alias facultates inſalutatis Muſis invitâq; Miner-
vâ: Tum audacter arrogare ſibi licentiam judicandi de re-
ctâ conſtitutione Academiarum, de philoſophiâ, de ho-
neſtis liberalibuſq; diſciplinis quantumvis ignotis, pluſ-
quam Sutor ultra crepidam. quas Imperatores, Reges,
Principes, & omnis pius magiſtratus, quas omnes, quot-
quot Mundo præluxerunt doctrinâ ab omni ævo appro-
barunt proponendas ac retinendas veluti radios ac rivu-
los divinæ ſapientiæ ad irrigandum, ad ſæcundandum
fructuoſè vineam Domini; Eaſdem carpere, damnare,
ſcurrilibus diſteriis impudentiſſimè traducere. Quod
(ô Nemefis! ô Rhamnufia Virgo!) haud impunè ferrent,
niſi tuerentur eoſdem Rerump. Naufragia. olim (refert *La-
ert. l. 5. in Theoph.*) *Sophocles Amphicliæ filius* (non ille Tra-
gædus) legem Athenienſibus promulgaverat, ne quis philoſophus
Schola præſciceretur, niſi id ſenatus & plebs decreviſſet: Qui ſe-
cus feciſſet, ut ei capitale eſſet. Itaq; & *Theopraſtus*, & philo-
ſophi reliqui urbe ſeceſſerant. Sed à *Philone* dies ob id *Sophocli*
cum ſequenti anno, quo abierat præfecturâ dictus eſſet; Atheni-
enſes lege abrogatâ (quia adverſus philoſophantium & ſcho-
larum libertatem lata. Rudis ſcilicet de eruditione judi-
caret, iners de arte, cœcus de colore!) *Sophoclem* quinque
talentis mulctarunt; & ut philoſophis redire, docere ac ſcholam
regere ſuo arbitrato liceret decreverunt. Divæ Athenæ, ve-
ſtram fidem, veſtram integritatem! quid faceretis calu-
mniatoribus noſtris maledicentiſſimis & ex alto deſpici-
entibus? Quid Philoſophæſtris eiſmodi ſpurcis animalibus
(*Gell. lib. 9. cap. 2.*) & probris nomen imponentibus ſibi
philoſophiæ, ut ab eâ philoſophi nuncupentur? Si no-
mina fortiſſimorum juvenum *Harmodij* & *Ariſtogitonis*,

qui libertatis vindicandæ gratia Hippium Tyrannum interficere adorsus, *ne unquam servis indere liceret, decreto publico sanxistis*; quoniam nefas visum nomina libertati patriæ devota servili contagio pollui, an æquo animo patremini nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus deterrimis sordescere? Sed nunc frustra hîc conquerimur. Itaq; hîc finem facio. & vobis Doctiss. Dn.

M. omnia felicia & fausta
precor.

F I N I S.











153456

ULB Halle
002 677 407

3



VD 77




Sanctis. Sanctis. Sanctis.
Communicantes et noctem ul' diei
sacratissimā celebrantes. qua bea-
re incorrupta uirginitas. huius mundi
saluatorē. Sed et memoriā uenerantes.
uis eundem gloriose semp uirginis mar-
tris. eiusdem dei. et dñi nr̄i ih̄u xp̄i. Sed et
torū apostolorū tuorū

Communicantes. et diem sacratissimū celebra-
tes. quo uirginitas tuus in tua terū gloria. uer-
nus in ueritate carnis nostre uisibiliter carere
apparuit. Sed et memoriā

Communicantes et diem sacratissimū celebra-
tes. quo dñs noster ih̄c xp̄c pro uobis est
Sed et memoriā. **H**anc igit oblationem





34
NICOLAI ANDREAE GRANII
S V E D I

O R A T I O

PRO

PHILOSOPHIÆ
DIGNITATE IN RE-

PVBL. HABITA XXV. IVL.

A. G. clo Io cXXII.

CVM

Spectab. Dn. Decanus Facult. Phil.

M. HENRICVS SCAPERVS

Mathem. pr.p.&p.t. Magnificus VI-
CE-RECTOR,

*Sex Doctis. Juvénibus summos in Philosophiã
honores conferret.*



Helmæstadij,

E typographéo heredum IACOBI LUCI,

M DC XXII.

30

